



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

III. Attamen si non accederet populi suffragium, periculum erat ne consecratus à populo recusaretur. Probatur ex eodem canone Antiocheno. Quæ synodus dici debeat... & perfecta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Atticus Nicopoleos in veteri Epiro in eadem actione xlii. regula ita præcipit, ut in unaquaque provincia Metropolitanus habeat potestatem, & ipse constituat omnes qui in ea provincia sunt Episcopos. Decreti facti à Gangrensisibus & sibi oblato meminit Eusebius Ancyra actione xv. i.

CAPVT V.

Synopsis.

I. Paulatim à veteri regula discessum est in Oriente & in Occidente. Orientales Metropolitanæ synodum Episcoporum ad suas urbes traxerunt quando agebatur de ordinando Episcopo exigua Ecclesia. Unde sequitur non semper expectata fuisse Clericorum & civium suffragia.

II. Zonaras induitum id putat à synodo Nicæna. Ex canone xlviii. Antiocheno colligitur Episcopos electos & consecratos aliquando fuisse extra sedem vacantem, tum etiam absque populi consensu.

III. Attamen si non accederet populi suffragium, periculum erat ne consecratus à populo recusaretur. Probatur ex eodem canone Antiocheno. Quia synodus dici debeat rita & perfecta.

IV. Ex Basilij quoque factis ostenditur Episcopum electum & consecratum à Metropolitanis extra Ecclesiam vacantem, & absque prævio populi consensu, cui tamen relinquitur licentia recusandi Episcopi.

V. Plebs Episcopum postulare poterat à synodo; sed Dei est designare proficiendum, nempe synodi iudicio. Probatur ex Basilio.

VI. Populus nullum Episcopum sibi proponere potest absque iudicio synodi; ut patet ex canone xvi. Antiocheno.

I. ATTAMEN dissimulari non debet quin paulatim ab hac regula discessum fuerit in Oriente & Occidente, sed diverso modo. Quippe Orientis Ecclesiæ, licet in majoribus Ecclesiis ordinandis veterem ritum retinuerint, attamen in aliis tenuioribus Metropolitanæ ad suas urbes synodum Episcoporum traxerunt, & per consequentiam, Clericorum & civium consilia atque testimonia non semper expectarunt. Incommodum illis erat in parvo oppido synodum habere, electiones per disensionem civium & criminum objectiones protractas agere, sumptibus atque dispendiis onerari. Quare cum Nicænus canon de synodi loco nihil disertè constituisset, nec de cleri populique testimonio, liberum sibi esse putarunt Episcopi ex arbitrio Metropolitanæ apud eum synodum pro gerendis electionibus habere.

II. Zonaras quidem tradit synodum in canone quarto Nicæno commemoratam habendam in urbe metropoli. quod ex posterioris ætatis moribus sibi persuaserat. Quod

Tom. II.

nos evincemus ex Antiocheno canone xviii. ex quo colligitur Episcopum electum & consecratum aliquando extra sedem vacantem, tum etiam absque populi consensu: Si quis Episcopus ordinatus ad paraciam cui est electus minime accesserit, non suo vitio, sed quod eum populus vitet, (vel, reddendo exactius ipsa verba, propter populi recusationem, ἡτοι δια τῶν τῆ λαῶν ἀπειθῶν) aut propter aliam causam, non tamen ejus vitio perpetrata, hic & honoris sit & ministerij particeps, dummodo nil molestus Ecclesiæ rebus existat ubi ministrare cognoscitur. Quem etiam observare conveniet quidquid synodus perfecta provincie quod visum fuerit judicando decreverit.

III. Attamen si non accederet populi suffragium, periculum erat ne consecratus à populo recusaretur, ut docent hujus canonis verba. Sed synodi statim ea de re habendæ cognitione, an justa esset recusatio, discutiebatur: quæ synodus τέλει esset & perfecta, id est, ex Metropolitanis & Episcoporum præsentia conflata. Canon quoque decimus septimus Antiochenus decernit quid constituendum sit adversus Episcopum qui post ordinationem non vult proficisci ad Ecclesiam sibi conceditam, quod evincit alibi consecratum fuisse.

IV. Ex isto usu factum ut Basilij anno trecentesimo septuagesimo, post suffectum à se cum synodo sua Euphronium in Episcopali sede Nicopoleos, senatum ejus urbis hortetur ad suscipiendum Episcopum: quoniam, inquit, eorum consensu negotium illud persui debet. Habes hic Episcopum electum & consecratum à Metropolitanis extra Ecclesiam vacantem, & absque prævio populi consensu, cui tamen facultas recusandi Episcopi relinquitur. Elegantia sunt Basilij verba epist. cxciv. Αἱ ἀεὶ τὰς ἐκκλησίας οἰκονομίας ἵνον) μὴ ἀλλοτῆρας μεθ' ἑαυτῶν τῶν ἐκκλησιῶν αὐτῶν, (ἐκκλησιῶν) ἢ ἀλλοτῆρας, ὅτι καὶ νῦν δ' ἐν τῷ ὄντι τοῖς θεοφιλεστάτοις ἐπισκόποις πεπλήρωται, τὸ ὅ λειπόμενον ἔστιν ὡς ἡμᾶς βλέπει, εἰ καὶ κατὰ τὴν ἐκκλησίαν περὶ τῆς ἐκκλησίας ἡ δόξα τοῦ ὄντος ἐπιτόπου, καὶ τὰς ἀλλοτῆρας ἐξ ὧν πλεῖστα ἰχυρῶς καταρτίσθαι. Dispensationes Ecclesiarum sunt quidem ab iis quibus earum cura credita est, à populis verò confirmantur. Nunc itaque quod erat in Deo dilectissimis Episcopis impletum est: quod verò reliquum est, vos respicit, ut datum vobis Episcopum ex animo complecti, & extraneorum tentamenta fortiter repellere. Vtitur verbo οἰκονομίας, quod etiam usurpatur in secundo canone Constantinopolitanæ synodi, ad designandas quæ ab Episcopis in Ecclesia fiunt dispositiones.

V. Attamen hæc synodi metropolitice

C C c

Vide Basilij Natas ad Agobast. pag. 100.